

Burgundionum optabilia loca repperisset, tria ibi monasteria strenue construxit et regulariter rexit. Quibus in locis quae et quanta sit operatus, non est nostrae, imo, ut verius dicam, humanae facultatis evolvere. Tantam etenim sanctitate vitae divina gratia largiente omnium virtutum efficaciam promeruit, ut ipsis elementis et aeriis potestatibus atque etiam feritati bestiarum singulariter imperaret, morbos depelleret, steriles feminas insperato partu fecundaret, annonam per omnipotentis providentiam miris consequeretur modis, prophetiae quoque spiritu ita repletus esset, ut facile antiquis illis aequaretur prophetis. Sed hanc virtutum gratiam diabolica non ferens invidia, Brunnihildam regis Sigiberti relictam, matrem Hildiberti, aviam Theoderici, qui tunc Burgundionibus regnavit, adversus sanctos dei feminea succendit iracundia, qua ita pestifero pervasa veneno et noto nocendi vasculo usus quasi organo, ita puerile regis pectus infecit, ut virum Dei cum fratribus, qui ex Hibernia venerant, tribus vicibus manu publica de claustris monasterii pelleret et sub arctissima custodia usque ad oram maris deduci praeciperet. Cumque navem, quae de Scotorum terra ad litus Galliae cum mercimoniis venerat et redire parabat, ingressi fuissent et prospero cursu veherentur in altum, tanta tempestas contrariis flatibus obortis tranquillum mare turbavit, ut ad terram, quam dudum reliquerant, aegre et difficulter evaderent. Mox vero ut litus apprehendere potuerunt, mira tranquillitas rediit. Intellegens ergo dominus navis, quia propter illos, quos in navim ignotos acceperat, talia sibi contigissent, sarcinulas eorum proiecit et mare sine impedimento sulcavit. Tunc Columbanus, cui prius omnia fuere tranquilla, videns contra se

---

1 die 3 Klöster sind nach der 'antiquorum traditio' Anagrates (Vita Col. 72, 23), Luxovium (a. a. O. 76, 6 ff.) und Fontanae (a. a. O. 76, 20).

2—11 vgl. Vita Columbæ 64 ff.

11 ff. Jonas a. a. O. 86 ff.

14 deos S

16 'usus' sc. 'diabolus' aus 'diabolica invidia' zu entnehmen. Aber was ist das 'notum nocendi vasculum', wenn es der Teufel nicht ist?

20 ff. Jonas a. a. O. 97 ff. Notker gibt die Stelle ziemlich ungenau wieder.

28 über sarcinulas steht ein unleserliches Wort 'asec' oder 'aset', jedenfalls ist es nicht 'a se', wie Weidmann druckt.